



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput VI. De probatione veri amoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

nec vanis intendens rebus, sobrius, castus, stabilis, quietus, & in cunctis sensibus custoditus.

Est amor subiectus, & obediens Prælati, sibi vilis, & despectus, Deo devotus, & gratificus, fidens & sperans semper in eo, etiam cum sibi non sapit Deus; quia sine dolore non vivitur in amore:

8. Qui non est paratus omnia pati, & ad voluntatem stare dilecti, non est dignus amator appellari.

Oportet amantem omnia dura, & amara propter dilectum libenter amplecti, nec ob contraria accidentia ab eo deflecti.

CAPUT VI.

De probatione veri amoris.

I. **F**ili, non es adhuc fortis, & prudens amator.

Quare Domine?

Quia propter modicam contrarietatem deficis a cœptis, & nimis avide consolationem quæris.

Fortis amator stat in tentationibus, nec callidis credit persuasionibus inimici.

Sicut ei in prosperis placeo, ita nec in adversis displiceo.

2. Prudens amator non tam donum amantis considerat, quam dantis amorem.

Affectum potius attendit, quam censum; & infra dilectum omnino data ponit.

Nobilis amator non quiescit in dono, sed in me super omne donum.

Non est ideo totum perditum, quandoque minus bene de me, vel de Sanctis meis sentis, quam velles.

Affectus illi bonus, & dulcis quem interdum percipis, effectus gratiæ præsentis est, & quidam prægustus patriæ cœlestis: super quo non nimium innitendum, quia vadit & venit.

Certare autem adversus incidentes malos motus animi suggestionemque spernere diaboli, insigne est virtutis, & magni meriti.

3. Non

3. Non ergo te conturbent alienæ phantasiæ, de quacumque materia ingestæ.

Forte serva propositum, & intentionem rectam ad Deum.

Nec est illusio, quod aliquando in excessum subito raperis, & statim ad solitas ineptias cordis reverteris.

Illas enim invite magis pateris, quam agis! & quamdiu despicient, & reniteris, meritum est, & non perditio.

4. Scito, quod antiquus inimicus omnino nititur impedire desiderium tuum in bono, & ab omni exercitio devoto evacuare: a Sanctorum scilicet cultu, a pia Passionis meæ memoria, a peccatorum utili recordatione, a proprii cordis custodia, & a firmo proposito proficiendi in virtute.

Multas malas cogitationes ingerit, ut tædium tibi faciat, & horrorem, ut ab oratione revocet, & lectione sacra.

Displicet ipsi humilis confessio,
& (si posset) a Communione cessare faceret.

Non credas ei, neque cures illum, licet sæpius tibi deceptionis tetenderit laqueos.

Sibi imputa, cum mala ingerit, & immunda. Dicit illi: *Vade inmundus spiritus, erubescere miser, vade inmundus es tu, qui talia inseras auribus meis.*

Discede a me seductor pessime, non habebis in me partem ullam, sed *Iesus mecum erit*, tanquam bellator fortis, & tu stabis confusus.

Malo mori, & omnem pœnam subire, quam tibi consentire.

Tace, & obmutesce, non audiam te amplius, licet plures mihi molitoris molestias: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo.*

Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Dominus adiutor meus, & Redemptor meus.

5. Certa tanquam miles bonus &

& si interdum corruis, resume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori mea gratia: & multum præcave a vana complacentia, & superbia.

Propter hoc multi in errorem ducuntur, & in cæcitatem pæne incurabilem quandoque labuntur.

Sit tibi cautelam, & in perpetuam humilitatem, ruina hæc superborum de se stulte præsumendum.

C A P U T VII.

De occultanda gratia, sub humilitatis custodia.

I. **F**ili utilius est tibi, & securius devotionis gratiam abscondere, nec altum te efferre, nec multum inde loqui, neque multum ponderare: sed magis temetipsum despiciere, & tamquam indigno datam timere.

Non est huic affectioni tenacius inhærendum, quæ citius potest mutari in contrarium.